188

1114

189

145

190.
146

LEONI·X·PONT·MAX·
LIVIVS GVIDOLO-
CTVS VRBINAS
S S
CVB·AP·FELICITA-
TEM

VM EX HIS, qui præcipuè colunt hæc politiora humanitatis studia Beatissimè Pater, LEO Decimè, Pont. Summè, animaduerterem hunc Heroica, illum Elegos, aliũm alia literarũ monimenta Tuo Numini certatim dicarè, meas partes essè duxi (licet ipsè et ingenio et doctrinæ sim multo maximè impar) eorum studium et industriam pro uirili parte imitari. Nõ quod me hercle existimarim (absit ut tantũ

mihi ſumam) Maieſtati Tuæ, quæ in literis tam græcis, q̃ latinis, et in omni uirtutũ genere primas tenet, meas nugas, nugas inq̃ gerris Syracuſanis uiliores aliquo modo ex uſu eſſe. Sed quod in præſentia nullam potiorem cauſam habuerim, cur amorem, fidez, obſeruantiam atq; ueneratione ergа te meam uel apertius uel ſignificantius declarare̅. Proinde inſtitui ex multis Luciani dialogis, quos quidem certe non uſus, ſed exercitationis cauſa, e Græco (utinam feliciter) in Latinum uerti, Decem dumtaxat, eosq; de Dijs (quáquam falſis) tibi Deo ī terris uero et decimo conſecrare. Ad id ſane tribus potiſſimum de cauſis adductus.

Primum, quo tute' his legendis, cum ridiculã, immo fatuam gentilium religionem obiter recognoſceres, tum omnis noſtri ociĳ, quod Munificentiæ' tuæ' (quantumcunq; id eſt) acceptũ refero, rationem perciperes. Dein' ut uitarem quod à multis dici potuiſſet, iccirco me' id operis Leoni dicare' noluiſſe', quod ignorarem, aut quanto ille' ſemper fauori et auxilio literarũ ſtudioſis fuiſſet, aut quanto ad ſummum Pontificiæ' dignitatis faſtigium euectus, in poſterum futurus eſſet. Sed quis eſt uſq; eo mentis expers, qui non liquido cognoſcat te' nobis non à fortuna, ſed ab ipſo Deo eſſe' electum et conſtitutum (ut de' repub. Chriſtiana ſileam) ad inſtauranda,

tuenda, illustrandaq; liberalium studiorum
sacra? Dolebant hæc multo iam antè, dole=
bant, sibi immatura morte ereptum fuisse'
Laurentium, Patrem tuum, Virum omni=
bus numeris Summum, eundemq; rei litera=
riæ Columen et Præsidium. Nunc uero ea=
dem illa lætantur, et quidem ualde', te' filiuz
in eius locum successisse, eoq; tanto maiorem,
quanto est Deus homine' maior. Quis etiã
eat inficias sapientiam, integritatemq; tuam
perinde' quasi lumen aliquod inter morta=
les elucere'? E, quibus sapientia scilicet ita
tibi est innata, ut insipienter (etiam si uelis)
agere' possis nihil. Ne' multa, quis in te nõ
conspicit et admiratur ea omnia, quæ' in Sũ=

mo viro, in Summo Principe', in Summo Pont, ardentissimis uotis et concipi et exoptari debent? ita ut iure' optimo et dici et haberi possis τῶν πάντων ἀγαθῶν σωρός. Quid' ego plane stultior, qui uelim amplissimas laudes tuas, quæ' sua magnitudine' et Demosthenis eloquentiam, et Platonis copiam exigerent, mea orationis inopia, breuiq; epistola complecti, siquidem admirari te' possunt omnes, at laudare' pro meritis, certe' nemo quisq; potest, nisi omnem tibi laudem esse' imparem fateatur. Quapropter de' illis ipsis, ut de Carthagine' Salustius, tacere' satius puto, q; pauca dicere'. Propterea q multo plura silentium persæpe' ex-

primit, q̃ orationis paucitas. Id tamen neq̃=
quam silentio prætermerim te illum esse, præte=
rea neminem, per quem docti complures, qui
siue iniuria temporum, siue (quod magis cre=
do) insciția Principum, proiecti, abiectiq; sine
premio, sine existimatione, hactenus humi ia=
cuere, nunc (tanta est rerum uicissitudo) ad
honores et dignitates prouecti, caput altius at=
tollunt et digito iam conspicui monstrantur.
Dij immortales, quantum gloriæ et laudis ex
hoc munere tibi apud omnes comparasti.
Perge igitur per fortunas oro, perge (ut coe=
pisti) huiusmodi laudem et gloriam, maxi=
mum virtutis premium, nonmodo conserua=
re, sed etiam omnibus (ut aiunt) neruis am=

plificare', et in diem latius diffundere', ἵνα τίσ
σε καί ὀψιγόνων ἀνέίπῃ. Id autem ut fa-
cilius possis præstare', Per ego uitæ' tuæ' cu-
pidus (quando non alia pro animo suppetit
facultas) faciam uota et quidem plurima, ut
Deus Optimus Maximus Maiestatem tuaz
mansuetudine', abstinentia, pietate', nulli eoz
qui Sexcentos ab hinc annos isto in diuino
solio sederint, postponendam, diu felicem et
incolumem seruet, seruatamqz in dies magis
feliciorem (si fieri potest) et illustriorem red-
dat. Postremo exoptanti mihi de' quadrigen-
tis aureis, quibus superioribus annis (quæ'
tua est munificentia) me' donasti, aliquo meo mu-
nere', si non quam debeo, saltem quam ualeo, gra-

tiam referre', uisum est has lucubratiunculas o
alij nulli potius, atq; Beatitudini tuæ' inscribere',
Præsertim cum iampridem tuis maximis in
me' meritis, omne' meum ingenium, industriaz,
cogitationem, memoriam, uitam deniq; ipsaz
tibi uendicaueris. Est munus (fateor ingenue')
perexiguum, tuaq; Celsitudine' minime' di-
gnum, Nihilominus erit idem quámaximum,
teq; non omnino indignum, si in mentem ue-
nerit, magni esse' Principis, non tam donuz,
quá donantis animum inspicere'. Exemplo
sit tibi Xerses ille', qui aquam a rustico ma-
nibus haustam perlibenter accepit. Sed qd
dixi Xerses! Non ne' Christus Rex reguz
idemq; rerum omnium Conditor Viduæ'

nummulos omnibus diuitum muneribus prætu-
lit: Suscipe igitur Sancte Pater hilari frõ-
te, et iam perlege hos Deorum Dialogos, qui
cum neqs sint ea oratione neqs stilo à me trans-
lati, quem Lucianus homo sui temporis do-
ctissimus, idemqs in sua lingua disertissimus,
expeteret, præ pudore in tenebris se liben-
tissime continebant. Verum enim uero simul-
atqs cognorunt se Nomini tuo Sacratissimo
esse inscriptos, depositio eodem pudore, fiden-
tius audent in lucem prodire, sperantes si
abs te Pontifice inter doctos doctissimo, i-
ter nobiles nobilissimo, inter utrosqs Opti-
mo et Clementissimo laudari contigerit, se
colophonium suffragium quamfacillime la-

turos, obtrectatorumq3 liuorem nullo negocio declinaturos. Vale' Pontifex omnium secu= lorum fulgentissimum Lumen, et que' iam & parturimus meliora maioraq3 expec tato.

Romæ Idibus Maij. M D XVIII.

+ff.
151.

LVCIANI DEORVM DIALOGI · X ·
INTERPRETE LIVIO GVIDOLOCTO VRBINATE
CVB · APLICO
AD SANCTISS · LEONEM DEC · PONT · MAX ·

INTERLOCVTORES FAVONIVS ET AVSTER

FAVONIVS

QVO EGO *sum et inter uentos numeror, nunquam uidi in mari pompam magnificentiorem. Tu uero Auster non uidisti?*

AVS *Quæ est hæc pompa o Fauoni, quam mihi narras? uel qui nam erant qui pompam*

faciebant. FAV a iucundissimo me' hercle spectaculo abfuisti, et quidem tali, quale aliud nullum amplius uideas. AVS Nam præter rubrum mare' operabar, Præterea perflaui etiam partem quandam Indicæ' regionis, q̃ mari adiacet. Quare' nihil eorum uidi quæ' dicis Fauoni. FAV Sed nostin tu Agenorem Sidoniæ' ciuitatis principem? AVS Næ, Agenorem Europæ' scilicet patrem. quid tum? FAV De' illa ipsa tibi narrabo. AVS An narraturus es qua ratione' olim Iupiter (hoc enim iampridem sciebam) factus est amator puellæ'? FAV Quoniam igitur amorem scis, quæ' post hæc secuta sunt, iam audi. Europa enim assumptis æquali-

BIBLIOT. PUBBLICA

bus puellis, ludens descenderat ad litus. Iupi-
ter autem Tauro assimilatus cum ipsis collu-
debat pulchra forma nitens. Quippe qui erat
et exacte albus, et tortuosis cornibus atq; as-
pectu mansuetus. Ille igitur saltabat in litore
et mugitum quendam iucundissimum edebat,
ita, ut Europa ausa sit eius dorsum conscen-
dere. Postquam autem id factum est, Iupi-
ter festinabundus eam ferens in mare irru-
it, illapsusq; mirifice natabat. Hæc rei
nouitate admodum perterrita, sinistra qui-
dem manu ne dilaberetur cornu apprehen-
debat, Dextera uero peplum uentis perfla-
tum cohibebat. AVS Iucundum profecto
et amatorium uidisti, Iouem silicet natantē, spectaculū

ſuasq; delitias ferentem. [redacted] At qui quæ'
ſequuntur Auſter, ſunt his multo iucundi-
ora. Nam mare' illico placidum factum
eſt, tranquillitateq; attracta, ipſam leuem
præbuit. Nos uero omnes quieti indulgen-
tes, nil aliud agebamus, ſpectatores dum-
taxat eorum, quæ' fiebant, iuxta eos ſe-
quebamur. Dein, Amores accenſas faces
ferentes paululum ſupra mare' obuolantes,
ita, ut nonnunquam ſummis pedibus ~~ſupra~~
aquam attingerent, una Epithalamiũ ca-
nebant. Paulo poſt Nereides emergentes
uehentibus Delphinis, mirifico quodam
ordine' obequitabant applaudentes, et ex
his multæ' pubetenus nudæ'. Præterea

Tritonum genus et ſiquid aliud eſt ex ma-
rinis haud aſpectu formidabile, omnia fa-
cta chorea, puellam circundabant. Adhæc,
Neptunus conſcenſo curru Amphitriten ~~ha~~-
habens obnatantem, lætus præibat, fratri
natanti iter præmonſtrans. Demum duo
Tritones Venerem ferebant, quæ cum in
concha iaceret, uarios Nymphæ flores ſpar-
gebat. Hæc a phœnicia uſq; in Cretam fa-
cta ſunt. Verum poſtquam ad inſulam ac-
ceſſit, Taurus non amplius apparuit. Cæ-
terum manu Iupiter Europam capiens, e-
amq; erubeſcentem ac deorſum ſpectantem
(ſciebat enim ad quod duceretur) in Dictæ-
um antrum abduxit. Nos uero tunc in

mare illapsi, alius aliam pelagi partem fluctibus agitabamus. AVSO Fauonium ob huiusmodi spectaculum beatum, & contra ego quidem hercle infelix, qui et Gryphes et Elephantos atq; nigros homines spectabam.

DIALOGVS II.

INTERLOCVTORES, VENVS ET CVPIDO

VRNAM o Cupido cum Iouem, Neptunum, Apollinem, Iunonem, necnon meam matrem et deniq; cæteros omnes deos certamine superaris, solum a Palladis congressu abstines? Cur pro illa fax tua est

extincta? Cur pharetra sagittis uacua? Cur
tu sine arcu es Scopumq; indipisci ignoras?

CVP Eam timeo mater, Nam licet sit oculis gratiosa, tamen est terribilis et admodum uirilis. Quapropter cum sagittam arcu aduersus ipsam intendo, concussa galea ita me perterret, tremebundumq; reddit, ut sagittæ in ipsa iaculatione e manibus defluant. VLN Nonne Mars erat ea multo terribilior? tu tamen ipsum et armis exuisti, et superasti.

CVP Sane quidem, sed ille ultro ad me accedit, ultroq; appellat. At uero, Pallas e assiduis meditationibus est intenta. Cui cuz olim face instructus prope aduolassem, per Jouem inquit, si me adieris, uel hasta transfossu,

uel altero pedè captum, uel meis manibus di-
ſcerptum, te' in tartara præcipitem dedam.
Hæc et alia id genus multa mihi minata eſt.
Præterea iracundo quodam uultu intuetur,
habetq; antè pectus faciem quandam uipe-
ris comatam, quam quidem ualdè metuo. Pro-
pterea q' terriculis ita mè inuadit, ut prè
timore', quoties eam uideo, aufugiam.
Eſto. Palladem times (ut inquis) et Gor-
gonem, cum alioqui Iouis fulmen non timu-
eris. Sed quid obſtat cur minus muſas nõ
ferias, et ſagittis conſequarè? an etiam hæ'
criſtas incutiunt et Gorgones intentant?
Minimè, ſed eas mater obſeruantia
quadam proſequor. Quippè graues ſunt,

et ſemper aliquid laude' dignum excogitant,
aut circa cantilenas uerſantur. Quibus ipſe'
cum cantu demulcear, ſæpenumero interſu.

[illegible] Dimittamus etiam iſtas, quoniam (ut
inquis) graues ſunt. Atqui Dianam qua
de re non ſaucias! CVP Dicam paucis, im=
poſſibile' quidem eſt, cum per montes ſemper
aufugiat, eam ſagittis indipiſci. Dein. pecu=
liari quodam capta eſt amore'. VEN Cuius
nam rei o fili! CVP Venationis, Nam mo=
do ceruos et hinnulos inſectando interficit,
modo iaculis feriendo conſequitur. In ſum=
ma, continue' circa huiuſmodi ſtudium eſt
occupata, iccirco eius fratrem alioqui et
ipſum ſagittatorem exiſtentem longéq; ia=

culantem ſpiculis confodi. [redacted] Scio equidem mi fili q̃ ſæpiſſime' tuis illum telis o percuſſeris.

DIALOGVS III.

INTERLOCVTORES MERCVRIVS ET PAN

PAN

SALVE o Mercuri pater [redacted] Næ' tu quoq; ſed quo modo ſum tibi pater?

PAN Non ne' es Mercurius, qui in Cylle-ne' colitur? [redacted] Quidni. ut igitur es meus filius? PAN Adulterinus ſum filius ex amore' tibi genitus. [redacted] Ex hirco me' hercle fortaſſe' quodam, qui capram ſtu-

prauit. Qui enim tu meus, cum habeas cornua, naſum ſimum, barbam denſam, cruráq; bifida et hircina atq; ſupra nates caudã?

PAN His conuicijs o pater ſi me' uituperaueris, tuum plane' filium, immo te' ipſum uituperabilem reddes, & ſiquidem non ego huiuſce rei ſum auctor, ſed tu te'met, qui huiuſmodi filios generas et prolificas.

Quam tibi quæſo aſſeris eſſe' matrem? an ego deceptus capram uitiaui? PAN Non capram uitiaſti, non, ſed paululum in memoriam reuocato, ſi unquam in Arcadia ingenuam puellam uiolaſti. Quid tu demorſo digito quæris, multumq; heſitas? Ego dico Penelopen Icarij filiam

Quidnam illa est infortuny passa, quod potius te hirco, quam mihi similem peperit?

PAN Quæ uerba ex ea audiui, tibi exacte referam. Hæc sub id tempus, cum me in Arcadiam mitteret, ego inquit o fili mater tibi sum, nomine quidem Penelope Spartana, patrem uero scito te habere Mercurium Deum, ex Ioue et Maia genitum. Quod autem corniger et hircinis sis pedibus, id non te angat, Nanq; tuus pater, quo tempore mecum rem habebat, quo facilius præsentes falleret, hircinam induit faciem, proinde hirco perquam similis cuasisti [redacted] Recordor me hercle nescio qd tale olim patrasse. Ego igitur qui admo-

dum pulchritudine' glorior, et qui adhuc im=
berbis sum, censebor tuus pater, et ero ob pul=
chram filiorum procreationem omnibus lu=
dibrio. PAN Etsi o pater sum deformis, ta=
men non sum tibi dedecori, Propterea q mu=
sicam artem optime calleo, fistulaq3 admodū
iucundum et lasciuum modulor. Dein. Li=
ber pater haud potest sine' me' quicquā age=
re', iccirco me' sibi socium et collegam asci=
uit, et quod magis mirum est, sum ei cho=
ri dux. Præterea si uidebis greges, quos ha=
beo partim circa Tegeam, partim supra Par=
thenium, ualde' lætaberis. Postremo uni=
uersæ' Archadiæ' impero. Item pauloante'
Athenien sibus auxiliatus, ita me' in Mara=

thonia pugna ſtrenuè geſſi, ut mihi ſub arce'
erectum ſit antrum, uirtutis premium. Si
igitur Athenas unquam ueneris, tunc liqui-
do cognoſces, quantum illic ſit Panos nomẽ.
[redacted] Dic mihi o Pan (hoc enim nomen
ut arbitror) tibi inditum eſt, duxiſti ne ad-
huc uxorem? PAN Minimè Pater, ſum
etenim amori deditus, nec unquam acquieſce-
rem cum una uerſari. [redacted] Capras pro-
fecto inis. PAN Tu enim mordes, ego uero
et cum Echo et Hamadryade' atq; omnib?
Liberi patris mœnadibus rem habeo, ab e-
isq; ſtudioſe' color. [redacted] Scis ne igitur quã
rem mihi primum petenti gratiſſimam fe-
ceris. PAN Iubè mi pater, At ego (ut par

est) iussa exequar. [redacted] Accede' et me sum-
ma cum charitate' alloquere'. Sed caue' in
posterum ne' me'(præsertim aliquo audiẽ-
te') parentem appelles.

DIALOGVS·IIII·

INTERLOCVTORES MERCVRIVS ET MAIA:~

MERCVRIVS

STNE aliquis
o mater in cœlo Deus
me' erumnosior? MAI

NE' quid o fili tale' dicas. [redacted] Cur non di-
cam, cum solus egomet laborans tot habeaz
molestias, totq; ministerijs intentus modo
ad hoc, modo ad illud distrahar? Nam sum-

mo manè oportet me surgentem Sympoſi-
um uerrere, concionem tapetibus ſternere.
Deinde ſuo quæq; loco collocantem ſoui aſ-
tare, ab coq; mandata tabellariorum more,
ſurſum ac deorſum diſcurſantem, perferre,
atq; reuerſum puluere adhuc infectum am-
broſiam apponere. Cæterum antequam iſ-
te nouus pocillator accederet, miſcebam etiã
nectar et (quod omnium grauiſſimum eſt)
ſolus ipſe ex alijs noctu non dormio. Sed
tunc oportet me uel animas ad Plutonez de-
ducere, uel mortuis ducem eſſe, uel iudicio
aſtare. Item, quoniam mihi haud ſatis ſũt
hæc diurna officia, in Paleſtris eſſe, in cõ-
cionibus præconis more contenta uoce cla-

mare', rhetoresqꝫ docere', opus est etiam me'
plurifariam diuisum, mortuaria peragere'.
Atqui uterqꝫ Ledæ' filius alternis diebus ud
est in cœlo, uel apud inferos, mihi uero singu-
lis diebus necesse' est tum hæc, tum illa face-
re'. Præterea Alcmenæ' et Semeles liberi
ex uilissimis progeniti mulieribus, securi pla-
ne' Genio indulgent. At ego filius Maiæ',
Maiæ' inquam Atlantis filiæ, istis ministro.
Quid! nunc, nunc à Cadmi filia reuersum,
ad quam me' misit Iupiter, ne' recreato qui-
dem spiritu, rursus misit argos Danaen in-
teruisurum. Deinde', cum illinc in Bœotiã
inquit peruenieris, Antiopen uideto. Sic
enim prorsus iam delassatus sum. Itaqꝫ (si

fieri posset) libenter me' uendipeterem tãq̃
seruos ĩ terris male' seruientes. MER. Di
mitte' quæso hæc o fili, oportet enim te' u
uenem existentem in omnibus patri obtẽ=
perare'. Quare' nunc ut missus es, curre'
Argos uelociter. Deinde in Bœotiam, ne'
moram faciens, uerbereris. Quoniam
ita natura comparatum est, ut Amatores
acuta sint bile'.

DIALOGVS. V.

INTERLOCVTORES IVPITER ET CVPIDO

CVPIDO

QVID erraui Jupi=
ter, ignosce mihi quæso, igno=
sce', puerulus enim sum, ad=

224
100

hucq; ſimplex. IVP Tu puerulus, qui qui=
dem es Iapeto longe' ſenior! Nunquid ob
hæc iure' cenſes infans nuncupari, quod
neq; barbam, neq; canos produxiſti, cum
tamen re' uera ſis ſenex et uafer CVP Qua
In re' ego ſenex (ut ais) te unquam affeci, mimia
quod mihi uincla circumiícere' meditaris!
IVP Conſyderato ſi id parui eſt momen=
ti ſceleſte', qui adeo mihi inſultas, ut nulla
iam ſit forma, in quam me' non uerteris,
Nanq; in Satyrum, Taurum, Aquilam,
Aurum atq; Cycnum pro arbitrio trãſ
formaſti. Breuiter neq; ſenſi unquam me'
iucundum fuiſſe' mulieribus ob te, neq; ab
eis amari. Id autem ſi uelim, opus eſt ad

uersus ipsas aut incantationibus uti, aut me' ipsum occultare'. quoniam si illæ, quę profecto uel taurum, uel cycnum amāt, me' conspexerint, illico præ' timore' emoriuntur. CVP Merito Iupiter. neq; enim cū sint mortales, tuum ualent perferre' uisum. IVP Quo pacto igitur Apollinem tum Branchus, tum Hyacinthus amore' prosequuntur! CVP At Daphne' etiam illum alioqui crinitum et imberbem existentem aufugiebat. tamen si uis esse' bellus atq; amabilis, nec scutum incutias, nec fulmen geras, Sed ut q̄ suauissimum te' præbeas, capillis ab utraq; aure' demissis, hisce'q; mitella collectis, purpuram induto

aureas crepidas subligato, sub tibijs atque' tympanis compositè incedito, tunc enī manifestè uidebis, qua ratione' plures è Bacchi Mœnadibus te' sequentur. IVP A page', nequaquam sustinerem me' amabilem fieri, in tam grandi ætate' constitutus. CVP Noli ergo Iupiter amori operam nauare', id saltem certe' est facile'. IVP Minime', immo amare' quidem est facile', rem uero amatam sine' cura consequi id difficillimū. Tamen ob hec ipsa te' missum facio :~

DIALOGVS VI.

INTERLOCVTORES IVNO ET LATONA

IVNO

IMIRVM o Latona per-
pulchros Ioui liberos pepe-
risti. IAT Vah, non enim
omnibus Iuno datum est, tales gignere fi-
lios, qualis est Vulcanus. IVN Iste et si
quidem claudus, tamen est utilis. Quippe
qui cum sit optimus architectus, nobis cœ-
lum exornauit, et Venerem uxorem duxit
atq; ab ea officiose colitur. At ex tuis libe-
ris, Diana quidem est uirago et ultra quã
decens sit, montiuaga. quæ in Scythiam
demum profecta (nemo est qui ignoret)
quemadmodum hospites interficiat et ad
Scytharum imitationem carnibus ues-
catur humanis. Apollo autem rerũ om-

nium sibi cognitionem uendicat, artem
scilicet tum sagittandi et pulsandæ citha-
ræ, tum medicinæ atq; uaticinij peritiam:
Itaq; diuinationis sibi constitutis officinis,
altera in delphis, altera in Claro et didy-
mis, à se' responsa accipientes perbelle' de-
cipit. Nam ita flexiloqua et ancipiti usui
accommodata, ad utranq; interrogationis
partem reddit responsa, ut error omni o
reprehensione' careat. Atq; ex huiusmodi
artificio ditatur, quoniam multi mentis in-
opes se ipsos incantandos prębent, verum-
tamen a prudentioribus non ignoratur, q̃
multa et ea quidem falsa, de' se' narret mi-
racula. Postea ille' uates neq; seruit suũ

amasium se' disco interfecturum, neq; præ-
diuinauit Daphnem sibi alioqui formoso
et crinito terga daturam. Quare' non uide-
o ob quam rem pulchrioris sis sobolis, quaz
Niobe'. LAT Hi tamen liberi hospiticida
et falsus uates, cum inter Deos sint conspi-
cui et eorum altera a forma ualde' laude-
tur, alter in Deorum conuiuio fidibus om-
nium admiratione' succinuerit, non sum ne-
scia, quanto te dolore' afficiant. IVN Exci-
tasti mihi risum Latona, ille' scilicet admi-
ratione' dignus, Quem Marsyas in musica
victor declaratus, (si musæ' æqua lance' iu-
dicare' uoluisset) utiq; excoriasset. At i-
dem nunc miser non ure', sed falsis sophis-

matis captus miſere' periit. Verum de' tua pulchra filia quid dicam? Quæ' adeo eſt formoſa, ut poſtquam animaduertit ſe' ab Actone' uiſam, uerita ne' iuuenis ſuam propalaret deformitatem, ei canes immiſit. Quid! Prætereo etiam dicere' quemadmodum cum ipſa urgo eſſet, obſtetricis officium puerperis præſtabat. LAT Valde' Juno per impotentiam nobis inſultas, quod et genialis thori et Jouis imperij es particep. Atqs ob id temere' facis contumelias. Verũtamen te' iterum paulopoſt lacrymantem conſpicabor, cum ille' te derelicta, in tauri uel cycni formam mutatus e' cœlo interram deſcenderit.

DIALOGVS·VII·

INTERLOCVTORES IVNO ET IVPITER

IVNO

ME SANE quidem puderet Iupiter, si talis mihi esset filius, adeo muliebris, adeoq; ebrietatē corruptus, qui crimibus mitella reuinctis, cum maiori ex parte, cum insanientibus mulieribus uersetur, illis quidē ipsis mollior, sub tympanis cymbalisq; et tibijs choreas ducens, cuilibet est magis similis, q̄ tibi patri. IVP At qui iste effoeminatus longiśq; redimiculis ornatus, qui mulieribus est mollior, non solum o Iuno Lydiam in suam potestatem redegit et Tmo-

lum habitantes cœpit, et Thracas subduxit, uerumetiam aduersus Indos his muliebribus copijs ductis Elephantos deuicit, regione' potitus est, regemq; ipsum, qui solus resistere' ausus est, captiuum abduxit. Atq; hæc simul omnia, saltans, choreas ducens, edera-ceis thyrsis utens, ebrius (ut inquis) et furēs gessit. Cæterum si quis unquam ausus est, uel eum conuicio afficere', uel contumelioſe eius orgia uituperare', hunc etiam acerbissime' ultus est. Nam aut sarmentis deuinxit, aut tanquam himulum a matre' discerpi fecit. Hem uides ne' tu, ut hæc sunt uirilia et patre' non indigna? Quare' si hæc ioco et luxu gessit, haud debes cum inuidia

prosequi, præsertim siquis cogitet, qualia hic sobrius, cum ebrius talia faciat. IVN Videris mihi uitem et uinum eius inuentum commendare, alioqui manifeste uidens, quæ inebriati passim agunt. Qui modo tubant et ad contumeliam sese uertunt, modo potu insani omnino fiunt. Vnde Icariuz athenienſem cui primo sarmentum Bacchus tradidit, ipsi compotores bidentibus eũ ferientes, interimerunt. IVP Quæ dicis Iuno, uana sunt. Nam neqꝫ uinum, neque Bacchus hæc facit, sed immoderata potio atqꝫ ultra q̃ deceat mero ingurgitari. Si quis uero moderate bibat, euadet utiqꝫ et hilarior et iucundior. Id autem, quod sca-

rius passus est, qui suorum cuipiam compoto-
rum faceret, certe est nemo. Itaq; uideris
hæc tum liuore quodam zelotipo dicere, tũ
Semeles recordari, propterea q; Bacchi re-
bus pulcherrime gestis ita obtrectas :~

~: DIALOGVS VIII.

INTERLOCVTORES MARS ET MERCV RIVS

MARS

AVDISTIN Mercuri quæ et quam superba et q̃ dissentanea nobis minatus est Iupiter? Si ego inquit uoluero, cathe-
nam é cœlo perpendiculariter demittam,
cuius extremitate in terram tendente, uos

ſuſpenſi, ſi me detrahere' conemini, fruſtra la-
borabitis, quandoquidem e cœlo nunquã me'
detrahetis. At ego ſi extrahere' uoluero, non
modo uos, ſed etiam ipſam terram atq; mare'
una iungens inſublimi acre' quàm facillime'
librabo. Hæc ille' et alia id genus multa, q̃
tu ipſemet audiuiſti. Eum ſane' in ſingulis
nobis omnibus et præſtantiorem fortiorẽq;
eſſe' non negauerim, Simul autem omnibus
tantum excellere', ut nos omnes noſtro pon-
dere' et conatu etiam ſi terram et mare' aſſu-
mamus, ipſum deorſum uerſum trahere' nõ
ualeamus, nunquam mihi perſuaderi poſ-
ſit. [redacted] Bona uerba quæſo, haud enim
tutum eſt talia dicere', nequid mali ex noſtra

garri-

garrulitate' percipiamus. MAR An putas hęc
me' uel omnibus dicturum fuisse' et non tibi
soli, quem sciebam secreti esse' tenacem? Id i=
gitur quod mihi præcipue' ridiculum uisum
est, nequaquam possem te celare'. Recordor
enim non multo ante', quo tempore' et Ne=
ptunus et Iuno Pallasq3 simul insurgentes
ipsum captum in uincla conijcere' conspira=
runt, q̃ erat prę' timore' uarius, et præser=
tim cum illi essent tres tantum. Et nisi &
Thetis miseratione' mota in eius auxiliuz
Briareum centimanum acersisset, adhuc cũ
ipso fulmine' esset uinctus. Hęc mihi repu=
tanti ueniebat in mentem ob ipsius pulchri=
loquentiam ridere'. [redacted] Tacc'. bona omi=

nare', Nec enim tutum est talia uel tibi di=
cere', uel mihi audire'.

DIALOGVS IX

INTERLOCVTORES APOLLO ET VVLCANVS

VVLCANVS

VIDISTI ne'o Apollo Maiæ' infantem nuper natum, ut pulcher est, ut omnibus arridet, ut iam ostendit sese' in præstantem uirum euasurum! **APO** Illum ne' infantem dicam uel excellentem uirum, qui si calliditatem spectes, est Iapeto longe' senior. **VVL** Ecquem cum nuper ĩ lucem prodierit, potis esset, iniuria afficere!

APO Quere Neptunum, cui modo Tridē-
tem furatus est. Quære etiam Martem,
nam et huius gladium e uagina clandesti-
nus extraxit. De me ipso nihil plane di-
cam, quem arcu et sagittis exarmauit.
VVL Hæc, qui recens ortus et uix infasci-
is mouebatur! APO Probe scies Vulcane,
si paululum ad te accessserit. VVL Atqui
iam accessit. APO Ecquid igitur, sunt ne
tibi omnia instrumenta, ita ut nullum e-
orum amiseris? VVL Omnia sane o A-
pollo. APO Tamen aduerte quæso exacte.
VVL Per Iouem forcipem non uideo. AP.
Eum uspiam in fascijs pueri conspicies. WL
Adeon aduncis est manibus, ut in materno

utero exercuerit furandi artem? APO Nempe tu nondum audiuisti ipsum ueloci et rotũdo ore loquentem. Cæterum hic etiam qui nobis ministrare' uolebat, heri prouocato in luctæ certamen Cupidine', nescio quo pacto illius pedes luctando subtrahens, eum quamprimum superauit. Postea tantisper dum is mirificis laudibus celebratur, et Veneris cestum ob uidetoriam ipsum amplexantis, et Iouis sceptrum tunc ridentis, incredibili dexteritate' subripuit, et nisi fulmen fuisset graue', multumq; in se ignis habuisset, illud etiam proculdubio abstulisset. VVL Terribilem sane puerum mihi narras. APO Non solum terribilem o Vulcane', sed etiam musicæ facultatis iã pe-

ritum. VVL Qui tu coniecturam hanc facis?

APO Is forte fortuna cum testudinem uita-
cassam reperisset, ex ea quidem instrumentuz
quoddam artificiosissime' compegit. Nanque'
adaptatis ac iunctis cubitis, dein calamis cõ-
pactis, subiectoqz eidem instrumento, cordi-
septem intensis, ita uarium, sonorum et con-
cinum modulatur, ut ipse' ego, qui iam diu in
pulsanda cithara me exerceo, ei uehementer
inuideam. Ad hæc, Maia mihi dixit eum ne'
noctu quidem in celo morari, sed præ' curi-
ositate' usqz ad Orcum descendere', illinc sci-
licet more' suo quidpiam ablaturuz. Præte-
rea est alatus et uirgam quandam mirabilis
potestatis sibi confecit, Qua quidem exam-

mabus alias Orco euocat, alias ad triſtia de=
ducit tartara. VVL Vah, ego illam ipſi
pro ludicro tradidi. [redacted] Ergo pro mer=
cede tibi forcipem reddidit. VVL Recte
tu quidem id mihi memoraſti. Quare iam
ibo gratia recuperandi forcipem, ſicubi is
in faſcijs inuentus fuerit.

DIALOGVS X

INTERLOCVTORES IVPITER ET MERCVRIVS

IVPITER

IOSTIN Mercuri for=
moſam Inachi puellã [redacted]
Quidam, Io ſcilicet dicis.

IVP Illa non amplius eſt puella, ſed buc=

713
169

cula. MER Hoc sanè monstrosum. Sed quo-
nam pacto immutata est? IVP Iuno inui-
dia quadã zelotipa irritata ipsam transfor-
mauit. Atq; non hoc contenta, rem nouam
et diram aduersus illam infelicem excogitauit.
Nanq; bubulcum quendam multis oculis præ-
ditum, cui nomen est Argo, ei præfecit. Hic
cum sit insomnis, bucculam pascit. [redacted]
Quid ergo nos facere oportet. IVP Simul-
ac in Nemeæam deuolaueris (ibi enim Ar-
gus iuuencam pascit) ipsum interimito. Pu-
ellam uero, cum per mare in Aegyptum ue-
xeris, Isin facito. Hæcq; illic habitantibus
Dea esto. Et Nili incrementum inducendo,
et secundos uentorum flatus immittendo na-

uigantes a maris tempestate incolumes ser=

uato :~